



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Titulus X. De his qui Filios occiderunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

ancilla fugiente, & extra provinciam reperta, in l. i. Cod. ubi de can/a status: & qui curiae, seu cohorti obligatus fuerit, capi potest auctoritate curiae, & cohortis, cui est obnoxius, l. i. Cod. ubi de curialibus. Unde cum Religiosi sine obnoxio religioni, & virtute professionis in ejus potestatem transferint, possint retrahi, & reperi per proprium Praelatum, & carceri mancipari: quam destructionem in carcerem Honorius in praesenti decretivit, quia veteres Religionum Fundatores, & Patriarchae eam pœnâ, seu potius medicinâ usi furentur. Porro Abbas carceri mancipabant omnes apostasiam molientes, ut refertur in epist. 72. Hadriani Pape, ad Carolum Magnum: & ita faciendum esse in contumaciam apostataras, probavit Christus Dominus apud Sanctam Hildegardam lib. 2. visione 6. num. 50. Insigneque est in hac parte exemplum S. Romualdi, qui in patrem suum Sergium factum Monachum, cum accepisset meditari apostasiam, eam pœnâ ulius fuit, ut refert Petrus Damiani in gestis sancti Romualdi, cap. 13. qui, um præmisisset capite antecedenti, missos ad eum Rauennâ nuncios de patria delirio, & concepta apostasia, ait: *Non equo fultus, non vehiculo deportatus, sed solum in manu ferens baculum, nudis planis, ex intimis Galliarum finibus Rauennam usque*

pervenit, ibique patrem ad scutum reveri volentem reperiens, in ligno pedes ejus fortiter strinxit, gravibus cum vinculis alligavit, verberibus duris affixit, & tamdiu corpus ejus piâ severitate perdonauit, donec ejus mentem ad salutis statum Deo mediante reduxit. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam licet dubient Doctores, an Pralati Regulariे neantur requiri apostolatas, & ad Religionem revocare, ut videtur apud Suarez tom. 4. de relig. lib. 3. tract. 8. cap. 2. num. 17. Giragum de regim. regular. dubit. 29. Layman lib. 4. summe, tract. 5. cap. 13. verius tamen est teneri ex cap. final. de regul. junctis ibi adductis, nisi ita pernicioſus sit Monachus certe fratribus, ut ob ejus crimina, & incorrigibilitatem ejiciendus sit a monasterio: qua causa requirendus non est, & juxta eum accipio auctoritatem Sancti Bonavent. Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis; nam licet jure communis ex ratione proxime tradita possint Pralati requirere, & retrahere monachos apostatas, tamen in odium ipsorum defectorum indulserunt Pontifices variis Religionibus, ut possint eos carceri mancipare, & excommunicare, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; & ita superflua non sunt dicta Privilegia.

§.
Dissolvi-
tur dñ-
bitandi
ratio.

T I T U L U S X.

De his qui Filios occiderunt.

C A P U T P R I M U M.

Alexander III. ^a Tornacensi Episcopo.

VENIENS ad nos M. mulier lachrimabili nobis confessione monstravit, quod cum de quadam filium genuisset, & ille sibi saepè turgido vultu improperasset, quod filius ejus non esset, ipsa ^b iracundia calore ducta, eundem filium interfecit. Quo comperto Comes Flandrensis eam totam terram usque ad septennium ^c abjurare coegit, nisi de nostra licentia remaneret. Cumque se nostro aspectui presentasset, & quod crucem accepisset Hierosolymam profectura, nobis assertione sua proposuisset, nos eam quia in partibus illis praesentia sua non posset esse utilis, sed damnoſa, à Hierosolymano itinere revocantes, ipsam f. t. duximus remittendam, praesentium tibi auctoritate mandantes, quatenus eam labores inducere, ut ad aliquod monasterium ^d transeat ^e in quo peccata sua perpetuâ pœnitentia deploret. Si autem (repugnante carnis fragilitate) ad hoc induci noluerit, ei licentiam in Domino nubendi tribuas: quia tutius nobis videtur, ut in Domino ^f nubat uni soli, quam in honeste multos admittat.

N O T A E.

^a Tornacensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. 1. post Concilium autem Lateran. sub Alexandre III. p. 50. cap. 12. ubi reperitur textus hic, & citatur ex lib. 1. regestri ^c Alexand. desideratur inscrip-

tio. De Tornacensi Ecclesia egi in cap. 2. de re-script.

^b Iracundia calore.] Licet in maleficiis iracundia non excusat, l. 5. Cod. de injuriis, l. per-spiciendum II. l. ant. facta 16. §. eventus, ff. de penia; tamen per impetum doloris, seu justum dolorem delictum admissum quandoque mitius punitur

punitur, l. si adulterium 38. §. Imperator s. ff. ad
leg. Iul. de adult.

c Abjurare.] Idest in exilium temporalemissa
est per septennium: de qua pena egi in c. i. de ca-
lumniator.

d Transeat.] Non ut monialis, sed ut detrusa
in Monasterium paenitentiae peragenda causâ ,
juxta tradita in cap. i. de regul.

e In Domino nubat.] Verba hæc exposui in t.
2. de secundis nupt.

C A P U T II.

Lucius III. a Parisiensi Episcopo.

Intelleximus ex literis tuis, quod cum M. mulier latrrix præsentium filiam parvam
haberet, diabolico furore accensa tandem ipsam suggestente eo, qui de fideliū per-
ditione latratur, lethali vulnere jugulavit, propter quod Dominus terræ b maritum
eius, & ipsam compulit abjurare. Quia verò illam c habere filios intimasti, unde
circum ejus exilium debcat dispensari: nos de discretione tua plenam fiduciam obtinen-
tes, eam tuæ duximus prudentia remittendam, per A. f. mandantes, quatenus ita
super hoc provideas, quod sui sceleris penam luat, & salutem ejus, & filiorum ipsius per
tuam providentiam in Domino consulatur: & non obstante juramento prædicto, quod
ab ipsa dictus Dominus proponitur extorsisse, eam sicut expedire videris, viro, & rebus
suis restituas, ita quod filios suos liberè possit & pacifice gubernare.

N O T A E.

t. a **Parisensi.**] Ita etiam legitur in prima collec-
tione, sub hoc titulo cap. 2. & post Con-
cil. Lateran. part. 50. cap. 25. De Parisensi Ecclesia
egi in cap. final. de rescript.

b **Maritum.**] Quia apud Catholicos exulem
conjugem conjuxit se qui tenetur, ut probat D. Ni-

colaus Antonius de exilio lib. 2. cap. 8. num. 22.
c **Habere filios.**] Liberorum enim ratione
mitius agendum est cum delinquente, l. unio. §.
si plures, ff. de portion. qua liberis damnat. Fa-
ciunt textus in l. qui in Provincia, §. D. Mar-
cus, ff. de ritu nupt. cap. quia circa, de consan-
guini. & affin. Illustrat Tiraquel. De penit tem-
per. causa 26.

C A P U T III.

Alexander III.

DE infantibus autem, qui mortui reperiuntur cum patre, & matre, & non appa-
ret utrum à patre, vel à matre oppressus sit ipse, vel propriâ morte defunctus,
non debent inde securi esse parentes, nec sine paenitentia; sed tamen consideratio
debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit. Si autem eos
non latet ipso interfectores esse, scire debent se graviter delinquisse: quod b Ancyritano
Concilio probatur. Quidam autem paenitentiam trium annorum judicant esse
debere, quorum unum peragant in c pane, & aqua.

N O T A E.

t. a **Alexander III.**] Ita etiam legitur in secun-
da collectione, sub hoc titulo cap. 1. nul-
libi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex: &
ex prioribus hujus textus verbis deduci viderur,
in præsenti referri partem Decretalis, cuius prin-
cipium alibi extat: verba autem in præsenti tran-
scirpta reperiuntur apud Burchardum lib. 17. cap.
39. & citantur ex Concilio Parisi. can. 5. & in Poenitentiali
Romano titul. 1. cap. 30. ita habetur: In-
venisti infantem tuum juxta op-
pressum, ubi tu, & vir tuus simul in lecto jacuisti, & non apparuit
urum à Patre, seu à te suffocatus esset, non debe-
ris securi esse, nec esse sine paenitentia: sed tamen in
his magna consideratio debet esse pietatis, ubi nulla
mala voluntas fuit, sed propria mors: tamen prop-
ter negligentiam, quadraginta dies debitis paenite-

re. Si autem vos non latet interfectores esse in fan-
tis, non voluntate, sed negligentiâ, tres annos
paenitentie debitis, unum ex his in pane & aqua;
& tempore paenitentiarum ab omni luxuria vos cu-
stodire debetis. Ideoque existimo verba in præ-
senti relata Alexandrum accepisse ex dicto can. 5.
Concil. Parisi.

b **Ancyritano.**] Apud Burchardum legitur
Ancyranum, & verè, hic et Concilium hoc à Grati-
iano appellatur Ancyritanum, ab aliis Anquiranum;
sed verè appellandum est Ancyranum.
Ancyra enim est Civitas Orientis, in Provincia
Galacia; Dioceseos modò Asiana, modò Pon-
ticæ, ubi Imperatores Orientis sàpè constituisse
apparet ex subscriptionibus legis quisquis, Cod.
ad leg. Iul. majest. legis 8. Cod. Theodos. quorum
appel. non recip. legis 76. de Decur. cod. Cod. legis
finalis de prædatis Senator. eod. Cod. legis 1. eod. Cod.

ne quis in palat. maneat, l. 18. cod. Cod. de Palatinis
Jac. largit. Immò urbem illam in deliciis Euro-
pia fuisse, qui ipse in deliciis Arcadio fuerat, testis
et. Claudianus lib. 2. in Entrop.

Ad muros Ancyra tuos auctore reperto
Europio, pelago ne tadia longa subiret,
Sed vagalascivis fluere discubibus etas.

Noravit I. Godofredus in opific. ad dictam legem
quisquis cap. 3. nnum. 2. Ibi celebrauit fuit Synodus
Ancyranæ temporibus Sylvestri, anno 314. ut vult
Baronius cod. ann. seu ut credit Bucherus lib. 10. Bel-
gii. Roman. cap. 13. anno 338. In qua Synodo cano-
ne 21. de mulieribus quæ partus fuos necant, ca-
vetur: De mulieribus, que fornicanter, & partus
fuos necant: sed & de his qui agunt secum, ut nre-
to conceptus excutiantur, antiqua quidem definitio
est, nque ad exitum vite eas ab Ecclesia removeri.
Humanus autem nunc definimus, ut eis decem an-
norum tempus tribuatur. Qui canon repetitus ex-
stat in Concil. Mogunt. sub Rabano can. 21.

c. Pane, & aqua.) Quam pœnitentiam cari-
nam veteres Ecclesie patres appellarent, ut pro-
bavit in c. 2. de spons. dñi, c. accusasti, de accusat.
Aliquando in praesenti casu pœnitentia alia impon-
nitur parentibus, ut probatur in cap. 7. de panis. &
remiss. Et pœnitentiam injungendam esse tan-
quam pro homicidio non sponte admisso, cavitur
in Concil. Tribur. can. 53. ibi: Si quis filium suum
(quod absit) non sponte, sed casu contingente occi-
derit, secundum homicidia non sponte commissa
paniteat. Et in can. 37. non diffimilis calus filii
occisi per incuriam matris ita deciditur. Si qua
mulier, ut sapè contingit, insanam proprium prope-
ignem collocaverit, & alia qui caldarium super
ipsum ignem pependerit, & aquam infude-
rit, atque aqua ipsa per ignem servens egreditur,
& infantis superfunditur, & propterea mortuus a-
gitur: mater infantis propter negligientiam judi-
cio sacerdotum pœnitentia: & homo, qui caldarium
pependit, securus permaneat. Simili modo de ca-
teris similibus, quæ sapè diverse solent evenire, &
judicamus, & esse volumus. Et lib. 4. Capital. Ca-
roli, cap. 397. ac in canonibus Isaaci Lingon. Episc.
tit. 2. c. 14. ita legitur: Mulier quæ dormiens filium
suum oppresserit, & mortuus fuerit, sex annis pœ-
nitentia: vir ejus si in domo fuit, quatuor; si vero in
uno lecto simili modo pœnitentia, duos in pane & a-
qua, reliquos quatuor secundum quod sacerdos vi-
derit, absinentem imponat ciborum. Vormat, tem-
pore Hadriani II. Mulieres quo ante temporis ple-
nitudinem conceptus utero infantes voluntate ex-
cutiunt, ut homicida procul dubio judicanda sunt;
ille vero quæ dormiendo filios suffocare videntur,
leviter de his judicare oportet, quia nolentes, &
non sentiendo adhuc devoluta sunt causam.

4. COMMENTARIUM.

IN his tribus decisionibus agitur de Patribus, qui
filios suos voluntate aut casu occiderunt: nul-
la vero sub hoc titulo extat constitutio de filiis
parricidis, parentum fata properantibus; quia for-
te Ecclesiae Patribus vistum fuit de parentum cæde
taendum: quo consilio eam Solon in suis legi-
bus prætererit, velut scelus incredibile, & ultra
audaciam possum, ne vindicando ostenderet com-
mitti posse, ut ait Seneca libr. 1. de clementia, &
ante eum noravit Cicero pro Roscio Amerino.
Apud Romanos vero, cum hoc delictum non
infolium esset, vindicari coepit variis paenis, le-

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

gibus Cornelia de sicariis, & Pompeja de parrici-
diis, quas eruditè exposuerunt, & illuſtrarunt
per docti viri, Academiæ nostra decus D. Ioan-
nes de Solorzano & D. Ioannes Ramos in opus-
cul. ad leg. Pompejam de parricid. ex exteris. Lelius
Mancinus lib. 1. de trip. juris collat. cap. 38. Vascon-
cellos lib. 3. respons. cap. 6. Ant. Marchaus de cri-
min. titul. de lege Pompeja, & aliis criminalista. At-
niseus lib. 1. de repub. cap. 4. secl. 1. Savarus ad Sid-
on lib. 4. epist. 23. Baronius in martyr. diez. A-
pril. ad quam legem Pomp. spectant lex 11. §. 1. de
his qui notant. infam. lex Stichus, ff. de penis.
Tantum ergo in praesenti agendum est de parenti-
bus contra votum naturæ filiorum fata properan-
tibus, & de penis quibus ex utroque jure ob. filii-
cium afficiuntur.

Et ut de patribus filios occidentibus prius aga-
mus, sciendum est inter alia patriæ potestatis ju-
ra, quæ integris libris congererunt, & illuſtrarunt
Paschal. de viribus patriæ potest. Acacius Ri-
pol. de privil. parent. Asconius Clemens in tract.
de patria potest. Forcatul. in neciom. dialog. 15.
Arias Pinel. in rubric. de bonis matern. 2. part.
Oroz. lib. 5. de apicibus jur. cap. 13. Osualdus
lib. 2. Donel. cap. 25. illud maximum fuisse, ut
parentes vita, necisque potestatem in liberos ha-
berent; quod jus lege Regia inductum, ut refert,
Halicarnasseus lib. 2. pag. 97. & 98. & testatur
Papinius lib. singul. de adulteriis, apud Petrum
Pitheum in collat. legum Mosaic. tit. 4. ibi: Cum
patri lex Regia dederit in filiam vita necisque po-
testatem: moribus receptum, testantibus Ulpiano
in l. 8. ff. de his qui sunt sui, Constantino in
l. 2. C. Theodos. de liberali causa; tandem in 12.
Tabulis approbatum, & reperitum fuit in tabul. 4.
de patrio jure, illis verbis. En de liberis iustis juis
vita, necis, venundandique potestas ei esto. Hujus
veteris juris vestigia extant in libris Pandectarum
in l. in suis 11. ff. de liber. & posthum. l. pater 20.
ff. ad leg. Jul. de adult. l. final. C. de patria potest.
l. 2. C. Theodos. de liber. causa, & innuitur in l. 1.
ff. ad leg. Pompejam, juncto Cujacio lib. 5. obser-
v. cap. 17. & ad titul. C. de patria potest. & satis jus
illud expressit Petronius in epigram. post satyr.

Et pater es dictus patria dignissimus, Iuli:
Quique tibi vitam longam abstulit, est quoq;
dictus

Ipse pater patriæ. Dic Phœbus adhæreat utri:
Virique: hoc patris est vitam dare, patris &
hoc est

Romani, si quam potuit dare, demere vitam
Posse etiam natis: vitam dedit alter, at alter
Vitam adimit: patria pater est sic dictus uter-
que.

Illustrant, ultra supra laudatos, Samuel petitus ad
jus Atticum lib. 2. tit. 4. Balduinus ad leges Romu-
li cap. 17. Arniceus dict. cap. 3. secl. 2. per totam,
Gentilis de bonis matern. cap. 2. Narbona de statu
ad actus humanos, anno 1. quæst. 8. & anno 3. q. 2.
Petrus Gregor libr. 12. syntag. cap. 8. Fornerius
lib. 2. rer. quotid. cap. 1. & 3. & in l. 135. ff. de
V.S. Hunnius lib. 1. variar. tract. 2. quæst. 15. &
in encyclop. 1. p. tit. 10. Avendanno de metu lib. 2.
cap. 1. Wisembech diss. 6. thesi 9. Et in hac par-
te observandi sunt textus in l. 3. §. videri ff. de bo-
nis eorum qui sibi mortem, l. 2. ff. ad leg. Cornel. de
sicariis, l. 1. §. 1. ff. de obsequitis, l. Divus §. ff. ad
leg. Pompejam, l. hos accusare, §. 4. ff. de accusat.
juncta l. 7. ff. de capite minut. l. minut. 35. ff. de re-
lig. juncta l. ult. de justit. & jur. adhibitis Duran-
tio

tio lib. 2. variar. cap. 2. Forner. lib. 2. ver. quodid.
cap. 16. l. Divus & ff. de pœnia, junctal. penit.
ff. ad leg. Corn. l. liberorum 1. §. final. ff. de his qui
notant infam. Nec desunt exempla parentum, qui
hac facultate usi fuerunt. Plura referunt Raviu-
s Textorius lib. 4. officina, cap. 4. Solorzanus
de parricid. cap. 7. D. Joannes Ramos de pœna
de parricid. lib. 8. fol. 486. Nectantum jushoc con-
cessum fuit patribus in filios naturales, verū &
in adoptivos, ut constat ex epigrammate Petronii
suprà relato. Unde cum Aulus Gellius lib. 5. no&.
Attic. cap. 1. tradit formam adrogationis, ait:
Adrogatio autem dicta, qui agenus hoc in alienam
familiam transiit per populi rogationem sit. Ejus
rogationis verbis hac sunt: Velitis, jubeatis, uti L.
Valerius Lucio Ticio tamjure, quam lege filius sit,
quam si ex eo patre, matreque filius natus esset, uti-
que ei vita, necisque in eum potestas sit. Cicero in
oratione pro domo sua, ibi: Credo enim, quam-
quam in illa adoptione legitimè factum est, nihil
tamen ne esse interrogatum, auctor ne esset, ut in te
P. Fontein vita, necisque potestatem haberet, ut
in filio. Romulus autem non omnes filios per-
mitit & qualiter occidere; nam triennio minores
impune parentes non occidebant, quia in tam te-
nera aetate nulla justa necis causa dari poterat,
qua ipsius morte ulcisci mereretur, ut ajebat
Ovidius.

Quid puer admisit tam paucis editus horis?

Quo latit factio vix bene natus avum?

Illustrant Narbona de etate ad actus humanos, an-
no 3. quæst. 2. nisi essent monstrosi, aut deformes,
quos non solum pater occidere poterat, verū &
citò necare cogebatur, ex l. 12. Tabul. dict. ta-
bul. 4. ibi. Pater insignem ad deformitatem puerum
citò necato. Et similem legem refert Aristot. lib. 7.
polit. cap. 16. Facit Quintus Curtius lib. 9. ibi:
Si quos segenes, aut aliquaque parte inuisiles noraverunt,
necare jubent. Talia enim monstra liberi non sunt,
l. non sunt, 14. ff. de statu hominum, l. quod dicitur
12. §. 1. ff. de liber. & postib. l. offendit 58.
ff. de V. S. de quarum conciliatione cum lege quæ-
ret. 135. ff. de V. S. videndi sunt Luna, & Arellanus
lib. 2. de rationis Imperio, cap. 5. Balduinus
ad l. Romuli, cap. 18. Olano lib. 3. Paralip. cap. 3.
Hunnius ad Treut. volum. i. D. Joseph. Retes lib.
1. opuscul. Torreblanca lib. 5. de jure spirit. cap. 8.
Meril. lib. 1. observ. cap. 33.

6.
*De ea-
dem pa-
tris po-
testate.*
Sed cum patria potestas in pietate debeat, non
in atrocitate consistere, teste Marciano in l. Di-
vus, ff. ad leg. Pompeiam, l. final. ff. si quis à pa-
rente, l. 3. C. de patria potest. adempta fuit Pa-
tribus predicta potestas; & licet emendatio jure
patriæ potestatis illi permittatur, atrox tamen
animadversio, qua nec dominis in servos per-
mittitur, patribus denegatur, l. 3. C. de patria
potest. l. unic. C. de his, qui patres, aut filios oc-
ciderunt. l. unic. C. de emend. propinquorum, l. 8.
& 9. titul. 8. partit. 6. immò si filius protervus,
contumaxque sit, debet cum puniendum judici-

tradere, ut lege veteri cauorum legimus, cap. 29.
Deuteron. & jure civili receptum, l. milites, & de-
sertorem, ff. de re milit. l. nec 9. §. 3. ff. de officio
Proconsul. l. in princip. §. 2. ff. de obsequiis, l.
propter 14. C. de his qui accusare, lib. 10. Baflic.
tit. 33. l. 2. ff. ad leg. Cornel. de scariis, quam expo-
si in cap. 1. de can. a posse. Illustrant latè Solorza-
nus de parricidiis cap. 8. D. Joannes Ramos dicit.
lib. 8. per totum. Unde prædicta faculitate patri-
bus adempta cœperunt ob filicidium puniri or-
dinariā homicidii pœna usque ad tempora Con-
stantini, qui extraordinariam equulei pœnam sta-
tuit, itaut parricidii crimen ex lege Pompeja etiam
ad ascendentēs filios, aut nepotes occidentes pro-
traheretur, l. unic. C. de his qui patres aut filios ac-
cid. l. unic. C. Theodos. de parricid. quam Constan-
tini sanctionem firmavit Iustin. in §. alia. In fit. de
public. judic. Alfonſus noster in l. 12. titul. 8. par-
tit. 7. latè illustrant D. Joannes Ramos dicit. lib. 8.
Solorzonus de parricidiis cap. 12.

Circa matrem, & avum maternum certum om-
nitempore fuit, nunquam illis ius vita, ac necis in De ma-
filios fuisse, l. illud 4. §. 2. ff. de bonor. posse. contra tre fib-
tabul. l. nulla 13. ff. de suis & legit. hared. l. si pater. ii. un. vi.
§. 1. l. Divus & matri, & §. idem 5. ff. ad leg. cidenti.
Cornel. de fatis; ideoque mater filium occidens le-
ge Pompeja de parricidiis tenetur, l. 1. ff. ad leg.
Pompejam, ibi: Sed si & mater filium, filium ve-
ciderit, ejus legis pœna afficitur: & avus, qui ne-
potem occiderit, pœna eius legis tenetur. Illustrant
Solorzonus de parricidiis cap. 7. D. Joannes Ra-
mos de pœna parricidiis lib. 7. per totum: & hujus
delicti mentio fit in his tribus Decretalibus, & va-
riis Conciliorum canonibus, quia frequentius e-
venire solet, ut matres filios interficiant; partim
incuria, partim odio, partim ob luxuriam. Ta-
edio enim estiis filios numerosius augere, cum non
pro filiis habendis matrimonium, sed libidinis ex-
plendæ causâ contrahunt; ideo eas capitai pœna
plecti voluit Recharedus, ut constat ex can. 17.
Concilii Tolet. 3. Non solum autem mater, qua fili-
os suos interemit gladio, & vi; verū & qua poti-
onibus, & venenis, ac aliis pravis artibus necem si-
liis procuravit, punitur, ut aborsum faciendo, cap.
consulisti 2. quæst. 5. 6. Synod. Trul. can. 91. D. Ba-
siliius ad Amphibioch. can. 2. juxta distinctionem
factus animati, vel inanimati, quam dabimus
in cap. sicut s. infra, de homicid. quibus in casibus
mater pœna parricidiis tenetur, l. unic. C. de his
qui parentes, vel filios. Quare Minutius Felix in
Octavianohoc crimen parricidium dixit, ibi: *Sunt
qua in ipsis visceribus originem futuri hominis extin-
tinguant, parricidium faciunt antequam pariant.*
Rectè ergo juxta hucusque tradita matribus, que
filios occiderunt, pœnitentia imponitur; non ta-
men facri Canones amplius progrediuntur, cum in-
cruentum imperium Ecclesia habeat, ut ait
Gregorius Nazianzenus in epist. qua-
dam ad Africananum.

TITVLVS